

aliquo impedimento obstrictos e patria discessisse, ad effectum evadendi Denunciationes faciendas in Parochiis alienæ Diœcesis, quod periculosum & incertum valde dignoscitur, & per Constitutiones Synodales non permittitur, nisi Venetiis habitantibus per decennium. Quare ut incommodo hujusmodi occurratur, quod ut plurimum non urget, confunditque contrahentes factis jam denunciationibus in Parochiis hujus civitatis, & imminente Matrimonii celebratione; Omnibus & singulis Rev. Plebanis & Capellanis curatis præcipimus per præsentés, quatenus statim ac quis alienæ diœcesis Venetiis habitans Parochum adierit pro Denunciationibus, Parochus Venetus requirat per literas Parochum alienæ Diœcesis, ea fere ratione qua Parochum Sponsi in civitate, ut ille pariter Denunciationes faciat, Fidemque manu & sigillo propriis munitam quamprimum transmittat cum legalitate & forma authentica; neque ad Matrimonii celebrationem sine dicta Fide ullatenus deveniendum erit, nisi nobis, aut Vicario nostro generali videbitur aliud in reliquis expedire, servatis tamen servandis, & attendenda temporum, locorum & personarum conditione.

Item cum experientia docuerit, contracturos Matrimonium aliquando loco uxoris vel mariti respective viventium, supposuisse dolose conficta nomina mortuorum; quorum mortis testimoniales facile exhibuerunt; Plebani & Capelani Curati, ne circumveniantur, testimoniales hujusmodi deinceps non admittant, nisi pariter vel notorie, vel per Fidem Matrimonii præcedentis, aut per testes legitimos constiterit ita demortuos fuisse Matrimonio conjunctos cum denuo contracturis.

Item